# FONTI VERE SIGNATO,

## HORTOQVE CONCLVSSO, TRIBVS

claui bus Originalis scilicet, venialis, & actualis sceleris tres ianuas precludentibus Diuinæ Triadis patrocinio, humanæ naturæ miraculo, quid amplius? Mariæ Deiparæ semper virgini, quam condidit & habuit Orationem in Regali Mexicana Academia, toto terrarum orbe citra omnium Academiarum iniuriam celeberrima, Anno Domini 1619. Secunda Februarij die post Vesperum prima uero solemnium Festorum quibus immaculatam eiusdem semper Virginis Conceptionē celebrauit eadem Academia.

---

EIVSDEM MEXICANVS IN PHILOSOPHIA MAGISTER, ET IVRE Pontificio Doctor Christophorus Sāchez de Gueuara Regalis Curiæ Mexicanæ Causidicus, & Indorum Nouæ Hispaniȩ generalis protector, dicat humilimus.



## O SVPREMA ANGELORVM REGINA.


IN cultum hoc mei (exigui fateor ingenij opusculum, in honorem tuæ Immaculatæ Conceptionis elaboratum, lucem ad spicere volui, volui quidem, immo potius debui feruentissimo tuorum, ita postulantium, desiderio alumnorum, qui tua sic audire gloriantur encomia, vt rudi licet hac, & Crassa Minerua proferantur, typis mandari digna iudicauerint, quorum votis annui, qui tui Cupio alumni titulo decorari, sane securus quod labor hic mordacium linguarum aculeos per transibit incolumis, tibi siquidem consecratus, (ò Turris Dauid fortissima, ex qua mille pendent Clypei deffensionis) quin immotuo prodit munimine sic innixus, vt (crediderim facile humilem ipsius stilum, in numeris vbique terrarum, calamis per subtilibus, ansam præbiturum, vt acute satis tuæ purissimæ Conceptionis laudes scribant in posterum, Cedro, & Amarantho dignissimas. In tui vtinam obsequium cedat & gloriam, O in ex haustum gratiarum MARE, MARIA. Deigenitrix fælicissima.

A PRO

## ¶ APROBACION DEL PADRE GVILLERmo de los Rios de la Compañìa de IESVS.

DE Mandato Excellentissimi Pro Regis, orationem hanc eruditissimi, & eximij ingenij viri Doctoris Christophori Sanchez de Guerara vidi. & accurate per legi, & præterquam quod nihil contineat quod catholicæ puritati, aut christianis moribus aduersetur, suspicio in illa præclarum ingenij acumen, sermonis suauitatem cum grauitate coniunctam, sententiarum pondus, diuinarum litterarum splendorem, iurisque vtriusque in Diuæ virginis mundissimam & labis originalis expertem conceptionem famulatum & obsequium. Opus ergo prelo dignissimum indico. Sic sentio Domi nostræ professæ Mexicanæ Societatis IESV, in per vigilio Ascensionis Christi Domini. Anno M. DC XIX.

Guilliermus de los Rios.



DON Diego Fernandez de Cordoua Marques de Guadalcazar, Virrey lugar Theniente del Rey nuestro Señor, Gouernador y Capitan general desta nueua España, y presidente de la Audiencia y Chancilleria Real que en ella Reside, &c. Por quanto el Doctor Christoual Sanchez de Gueuara me ha hecho Relaciõ que en las fiestas que la Real vniuersidad desta Ciudad hizo à la limpia Concepcion de Nuestra Señora le encargò el Rector. y Claustro pleno de la dicha vniuersidad hiziesse vna oracion latina en fabor deste Misterio, la qual hizo, y por que mucha gente docta y deuota pretènden se imprima. Me pidio mandasse darle licencia para ello. Y por mi visto y el parecer que cerca dello dio el Padre Guillermo de los Rios de la Compañia de IESVS à quien lo remitì, y atento a lo que del Resulta. Por la pressente doy licentia al dicho Doctor Christoual Sanchez de Cueuara, para que auiendola del ordinario deste Arçobispado libremente pueda hazer imprimir è imprima la dicha oracion por vna vez, y mando que el y la persona que tuuiere su poder, y no otra alguna lo pueda hazer, sopena de perder los moldes y aderẽtes y toda la impression que hizieren de la dicha oracion, aplicado todo Camara juez y denunciador. Fecho en Mexico, à onze dias del mes de Mayo, de mill y seysciẽtos y diez y nueue años.

El Marques de Guadalcazar.

*Por mandado del Virrey.*
Luys de Touar Godinez.

## ¶ APROBACION DEL P. MAESTRO Fr. Gonçalo de Hermosillo, de la Orden de S. Augustin, Cathedratico de sagrada escritura de la Real vniuersidad de Mexico. Por Commissió del Doctor Diego de Leon Plaça, Prouissor deste Arçobispado.

POR Comission del ordinario de este Arçobispado de Mexico, vi esta oracion tan calificada, por las buenas letras y opinion de su Auctor, y por el aplauso con que la Real vniuersidad la oyò, y aprobò, que no tenia necessidad de mas aprobacion, solo se deuiera cuydar de obligar al Doctor Christoual Sanchez de Gueuara, à que permitiesse el imprimirla para el gusto de todos los que bien sienten. En S. Sebastian de Mexico, à treze dias del mes de Mayo, de mill y seyscientos y diez y nueue.

*Fr. Gonçalo de Hermosillo.*



*EN LA Ciudad de Mexico, a catorze de Mayo, de mill y seyscientos y diez y nueue años. El Doctor Diego de Leon Plaça, Prouisor y Vicario general deste Arçobispado, auiendo visto la oracion, fecha por el Doctor Christoual Sanchez de Gueuara, en fabor de la Concepcion de la Virgen nuestra Señora. Y el parecer de el Padre Maestro fr. Gonçalo de Hermosillo, Cathedratico de sagrada escritura de la Real vniuersidad, dixo que daua y dio licencia al dicho Doctor paraque se imprima la dicha oracion.*

El Doctor Leon Plaça.
Prouissor.

GRA



RATVLOR (ILLVSTRISSIMA Parens Academia) ſed cuinam gratulor? iuriſprudentiæ profectò, nobiliſsimo pariter, fœliciſsimoque deinceps aduocatorum muneri gratulor, cauſarum ſiquidem Patronis, aliquando partes fœliciter agere contingit altiſsimas, quid enim altiùs? quid nobiliùs? nil me Hercle, nihilque fœliciùs, cum Regalis hæc Mexicana bonarum artium altrix Academia florentiſsima, refertiſsimum litterarum emporium, vniuerſo terræ, & cœleſti ſimul orbe plaudente, illibatam Virginem, intactamque Deiparam, Mariam ſine labe conceptam interno cordis amplexatur affectu, oreque libentiſsime profitetur, & gratiſsimis vocibus hilariter ſydera pertingentibus iterum exclamat, & iterum, tot inter grauiſsimos viros, albentia Theologiæ lumina, inter tot iuris vtriuſque profundiſsimos ſpeculatores, & quibus affatim Magiſtris exuberat, qui huic luculentiſsimê muneri ſatis facerent, me iuriſprudentiæ tyrociniũ (fateor) agentem, & ſedem infimam poſt cœteros obtinentem elegerit, & in hunc locum iuſſerit aſcendiſſe, tam meæ exiguitati ſublimem, quam meis ſanè imbecillibus humeris imparem, & à viris alijs a me longe oratoriæ facultatis ſplendore clariſſimis frequentatũ, & qui poſſet hodie ab aduocandi munere peritioribus illuſtrari, quorum ſi proceritatem intuear, potius mihi admiratione colẽdos, quã

imi-

imitatione proponendos assumerem. Ergo ò altissima iuris prudentia. O faustum, fælixque patrocinãdi munus nobilissimum, fælicibus siquidem auspicijs, omineq; faustissimo, supremam omnium fautricem Mariam, hominum apud sacram Triadem, Mediatricem, e genus orator, exilis causidicus, sub tantæ Angelorum Reginæ,& intactæ virginis protectione, vmbram patroni simulans, & effigiem adumbrans, eandem sine peccato conceptam tutandum pro viribus, Angelicis vtinam aggredior intrepidus, celebraturus tanti generis claritatem, & ex natura diuino simul, & humano iure, ab vtroque latere nobilissimam probaturus, nulli vnquam seruituti Mancipatam, sed ab omni peccati macula, & eius signo recognitionis immunem ex gratia, ideoque in ipso suæ conceptionis instanti nec debuisse, pariter nec decuisse, mortiferi serpentis imperio subiugari, nec subditam extitisse, cuius caput olim Deus ab eadem promisserat conterendum. Nobilitatem ergo hanc, tam ex natura Regalem, quam ab originali scelere præseruationem ex gratia, & omni iure spectatissimam immunitatem, scopum vti præcipuum, nostra sibi præfiget, & collineabit oratio. Ast in ipso nos orationis ingressu in dubium reuocãt, & quasi hæsitare suadent omnia quæ sub Cœlorum ambitu cõtinentur, & ipsorum subiacent mutationibus, siue quæ abeant, siue quæ recenter appareant, & cõmuni hac viuendi perfruantur vsura, ea enim, nescio quo inficiuntur senio, & vetustate tabescunt. *Nouum sub sole 1 nihil esse.* Sapientissimus ille qui pulchrè cuncta cognouit, & intuitus est Salomon posteritati pro certissimo,

1. Ecclesiast. c. 1. num. 10.

ſsimo cōpertum eſſe teſtatur, nec enim ſi vel Cœlum adieris, vel ſecreta introſpexeris, noua illi ſydera, inuſitatam lucem, recentes ſtellas, orbes nuper circinatos, affabrèque cōſtructos, ſed neque Phæbum alterum, aliam Phæbem, nunquam expertos cœlorum curſus, inde ve ſecretos ad hæc inferiora ſalubres influxus. In eandem quæ diu perſtitit; igneam ſphæram, ipſum aereum ambitum, & quæ, vel aere, vel igne, vel etiam terra procreantur inuenies. Nec ſi, vel terram effoderis, & ad diſsitos eiuſdem ſinus, centrum vepenetraueris, ſi vel aurum, argētum, vel gemmas, Siue quæ magno apud homines in pretio ſunt, metalla quæſieris, campos diuerſa florum amænitate, & lætitia circumueſtitos eſſe, arbores mille fructuum fœcūditatem reddere, fontes aquis ebullientes limpidiſsimis ſcaturire, Maria, tum quieta, & tranquilla, tum magno ſeſe impetu oſtendere ſuperbientia, flumina, agros & ſata, quæ proxima fuerint, præter fluere, remota vero, & longè diſsita irrigare, profecto quidem latere poteſt neminem, cōplures eſſe aues vocem, & cantum dulcitèr eleuantes, harmoniamque ſuauiſsimam cōcitare, animantium etiam genera ab orbe innumera cōprehendi, alia ſumma ferocitate, alia nimia fuiſſe māſuetudine procreata, cui ex omnibus iam diutius apertum non eſt? Nihil ergo nouum ſub Sole. Specioſiſsima ædificia, Cœlorum fere culmina pertingentia, erectas, & caput erigentes turres, caſtella munitiſsima, & mænia varijs vbiq; partibus eſſe ad magnificentiam inſtructa, quis inficiabitur? Nihil ergo nouum ſub Sole, quid iam ſi ad vniuerſam hominis naturam ocu-

oculos cōuertamus? Quid precor inte r eos nouum? quid inuſitatum? An quod è terra procreati,&in lucem editi ad vnum tandem interitum pro labantur? Nulli id non peruium, nulli non patefactū. An quod ingenuis addicti artibus? & diſciplinis inſtructi? An quod honores adipiſcantur? Vel diuitijs eniteanr? vel ab alijs,magno in honore, & opinione ſint habiti? At ea non ignoramus; an quod à Parente noſtro amiſſo iuſtitiæ originalis ornatu, virtutis inopes, & ad malum ſimus addicti? Vt humana corda vitijs prope ſcateant innumeris? At vtinam, ea animi noſtri ægritudo,ac debilitas non eſſet vſque adeo certo nobis experimēto cognita,nihil igitur ſiue in anima ſpectes, ſiue animantia inueſtiges, ſiue humanum genus introſpicias,nihil nouum ſub ſole. Quid ergo? Nihil nouum ſub ſole? Nihil inuiſitatum ſuper terram At qui Hyeremias mihi ad aures iam dudum inſonuit. *Nouum creauit Dominus ſuper terram.* Ita ne? ó omnium ſapientiſsime Salomon? nouum ne? Tu ne eodem quo Hyeremias ſpiritu nihil ſub ſole nouum inclamabas? iam ne mētem immutabis tuam? Quid precor nouum? Quid in auditum? Quid Hyeremias prehendit inuſitatum? Ego quidem (optimi auditores) pro Hyeremia ſteterim, ſed nec deſeram Salomonem nodum diſſoluam, dubijs ſatisfaciam. Nouum hoc creatum à Deo ſuper terram,nihil profecto, niſi recenter, & ſine macula Concepta Deipara. illam præter morem,præterq; ordinem naturæ,creauit Dominus ſuper terram, nouam infantulam, nouam virginem, Deique futuram deniq, genitricem, Sed ſiſte parumper per Deum immortalem, Orator

te te.

n.º 2
Jerem. 31. n.º 32

tete in ipſo orationis limine aliquantulum remorare, moroſius ediſſere, quæ nuper diſſerebas, nouum enim audio ſacramẽtum, rem dubiam auſculto, rurſus explica, iterum exordire, animaduerte parumper te Sacræ Deiparæ Virginis nobilitatem tutari, & omni iure immunem defendere, progeniem vti clariſsimã in ipſo orationis veſtibulo promiſsiſſe. 3. Nobilitas autẽ, quo antiquior, eo maior, eo eſt Excellẽtior, ſic iura proclamãt, inde enim ortũ habuit (4) ab antiquitate ingenuorũ duci gentilitatem, ſeu nobilitatem, inde pariter abijt in prouerbium. (5) *Omne fieri per antiquitatem nobiliùs* hinc veteres veluti nobilitatis inſignia reputantes, præ maxima vetuſtate 6. fumoſas maiorum imagines apellarunt, & quem antiquitas ortum nobiliſsima progenie referebat, à Codro celebrauit, 7. vel Codro antiquiorem affirmauit, eo quod is Athenienſium Rex fuerat antiquiſsimus. Hinc antiquitas generis, familiæque vetuſtas pro nobilitate fuit habita, hinc pariter 8. nouitas pro ignobilitate, & noui homines, vt ignobiles ſpernebãtur, cum eſſent prorſus ignoti, & eorum ſubitæ dicebãtur imagines, viri vero nobiles è conuerſo, ſunt dicti, quia noti, ſeu noſcibiles, vnde nobilitas eſt quaſi noſcibilitas reputata. Quid ergo cum nobilitate nouitas? Aut cum nouitate nobilitas? Cum huic potius congruat, & ſatis apte cohæreat antiquitas? Sed ad huc (ò Patres conſcripti) Nouum quod creauit Dominus ſuper terram, Regalem infantulam peccati prorſus originalis expertem, pro viribus iterum tutabor & iterum. Eandẽ fateor exter quatuordecim clariſsimis Patriarcharum, ſacer-

*num. 3. l. 2. § quæ omnia. Verſ. Sed et Anatoliũ C. de vete iure enuc. l. prouidendum, C. de poſtulãdo. l. 1. Cod. de iu. aure, annul.*

*num. 4. Boetius in Topica Cicer.*

*nu. 5. Baſilius Mag in Serm. de ieiunio.*

*nu. 6. Cicer. in orat. in Piſonem.*

*nu. 7. Author eſt Themiſtius. Relatus á Tiraq. de nobil. c. 19. num. 27.*

*nu. 8. Tullius lib. 5. Epiſtol. Epiſtol. fam. ad fabium.*

dotum, Regum ac Principum generationibus procreatam,& originem pariter traxiſſe clariſsimam ex natura,& per eoſdem, veluti per canales limpidiſsimos Regium eius ſanguinem fluxiſſe puriſsimum,& ipſa denique puritate puriorē, ſed ſacram hanc virginem ex antiqua,Regaliq; proſapia nobiliſsimam, nouum ſanê ex Dei gratia miraculum ſuper terram apellare quis ambigat? prorſus nemo. Si enim opus commendat artificem, omnia noua in efformanda matre, verum eſſe Deum, conſtruentem filium, demonſtrarēt, noua conceptus norma, cum á communi lege peccati originalis extiterit liberata,noua ortus excellētia,cum & prædicta ab Angelo, & ab ſterilibus ſit orta Parentibus,noua ſui ipſius Deo creatori, in templo ab annis teneris præſſentatio, noua in infantia voti emmiſsio de virgineo conſecrando pudore, noua ex Virgine ad Matrem virginem progreſsio, & noua in eius vtero diuini verbi commoratio,noua eiuſdem in partu productio virginei candoris gloria permanente, & noua ipſius, ſuper Angelos in Cœlos aſſumptio, & tandem in acceptione præmij, & diademmatis meritiſsimi noua Cæleſtiũ agminum congratulatio. *Nouum ergo creauit Dominus ſuper terram.* Nec immerito,Quid enim maiorem præ tulerit nouitatem? Quam cum ab ea maiorum,virgo hæc deducatur ſtirpe,cui dæmonis virus non parum ob fuit, ipſa tamen illibata,incolumis euaſerit, & illæſa? oritur igitur ex proditore parente, ex ſeducta licet Eva trahat originem, & humanam præferat, communemqne naturam, ſic tamen vt in ipſo vitæ aditu, & dotibus animi ſingularibus, nouaque

virtu-

virtutum luce præfulserit, & bonitatis totius pelagus,(quæ Maria dicta est) aggregauerit,hoc tamen (Auditores) quid nouius? Quid in vsitatius? Iam vero quonam id pacto contigerit, indagantem me, & rudi licet Minerua explanantem audire in vestris esse votis ar bitror, Quibus vt, (quantum meæ suppetierint facultates)satisfaciam,mecum adeste animis, ò viri clarissimi) etenim illud est veteri nobilium hominum consuetudine receptissimum, vt qui nempe originem, ex illustrī traxisse prosapia conatur ostendere, is petat oppidum, in villam ve, sese conferat per exiguam, quam de media plebis fæce, & infimæ sortis homines incolant, ibidemque aliquantulum commoratus ansam præbeat, vt tributa exigant ab eodem,quem inter alios miseræ fortunæ homines, huiusce recognitionis signum tribuentes, commorantem inuenerint, quod si soluere reluctetur,eisdem aduerso Marte pugnantibus. Antiquam sui præclari generis nobilitatem in lucem proferat, &purissimum velut aurum fornacis ignibus spectatum meridiano iubare clariorem ostendat,se que à tributorū solutione probet immunem.Contigit non aliter, si diuina humanis liceat aliquando conferre cum æternum illud diuinæ mētis numen,cuius æternum, arcanumque cōsilium ab incogitabili æternitatis fonte promanauit,Protho parentis in obedientiæ ergo, labsum hominem reparare commotis. (liceat ita loqui)infinitæ miserationis viscceribus,supremo diuinæ Triadis consistorio decreuisset, vt is qui substantia Patris, & sui est ipsius bonit atis imago, factus homo, naturam eleuaret humanam, quod vt

 con-

congruentius opere compleretur, ex eadem (licet labſa) natura puriſsimam Matrem Virginem, ſecundum naturam ex innumera Regum ſerie deſcẽdentem diuinitus præ elegit, & cum aurea iam ſæcula properarent, quibus Patres tot, ac ſantiſsimi Patriarchæ, Diuino Verbo, Naturalique Dei filio, humanam aſſumente, & pariter illuſtrãte naturam, Redemptioniſque myſterium conſummante, reſeratis limbi foribus, & importunis eius tenebris penitus effugatis, qnibus, tot retro ſæculis fuerant obcæcati oriente iam iuſtitiæ ſole illuminati æterna beatitudine fruerentur, vt primam tanto operi manum imponeret, factum eſt, vt illibata Maria, Regalis infantula Deique futura genitrix fælicisſima in Adæ lumbis aliquãtulum moraretur, oppido ſanè, ab infimæ ſortis, ac miſeræ fortunæ incolis præocupato, vbi peccati tributa, (miſera ſane humani generis ſubiectio) ab omnibns in hoc vere in fælicibus, Adæ filijs, (Proh dolor) vniuerſaliter perſoluuntur, vbi tenebrarum licet Princeps ſignum ſibi recognitionis contenderit, peccatique tributum exegerit, contendit fruſtra, cum in ipſo vitæ exorientis initio puriſsima virgo ab originali labe fuerit præſeruata, ſeque ab vtroque latere, ex Regali progenie duxiſſe originem, patefecerit, nobiliſsimam, ex natura, & maioris ex gratia, ſe ſe nobilitatis participem oſtenderit extitiſſe. *Nouum que hoc naturæ miracnlum creauit Dominus ſuper terram.* Decuit ita ſane, cum Regalia iura Principem ſolutum legibus affirmãtia. 9. ijſdem Auguſtã decorari decreuerint priuilegijs, Aſt quam precor Auguſtæ nomine gloriari contendis orator?

*num. 9. l. Princeps ff. de legibus.*

An

An ſponſam Principis, filiam ne? an denique genitricem? Sed ſiue Principis genitricem attẽderis,ſiue filiæ memineris,ſiue eiuſdem ſponſam animi cogitatione perpenderis, Auguſtam quamlibet,& Auguſti Principis ſplendoribus irradiare,manifeſte comperies. Illibatam ergo Mariam, iure quidem Regali, merito ſtricta peccati lege decuit eſſe ſolutam, vt pote principẽ modis omnibus Auguſtiſsimam,æterni Parentis, Summique ſæculorum Regis filiam, cuius greſſus, *Quia filia Principis, extitit*. 10. *Pulchros in calceamentis*. in ſuo nempe ad vitam hanc initio fælicisſimo, primoque vitæ greſſu, hoc eſt in ipſo ſuæ conceptionis inſtãti, caſtiſsimo eiuſdem amore correptus, celebrauit ſponſus,nec mirum ſi eidem, ſerpentis caput,ſuo inſidiãtis calcaneo,ſeu primo vitæ greſſui promiſſerat conterendum,ſine dubio contriuerit. Et quæ idemtidem naturalem terræ, Cœliq; dominatorem, ac Principem, diuino ſpiritu obumbrante concepit, & illibata virginitate peperit mirabiliter intacta virgo,Regina ſit & genitrix Auguſtiſsima,vt pulchre Diuus Bernardinus Sennenſis. 11 *Secundum leges (ait) quibus regitur mundus iure hæreditario Virgo Beatiſsima omnem huius mundi meruit Principatum, & Regnum. Quia filius eius in primo inſtanti ſuæ Cõceptionis Monarchiam totius promeruit,& obtinuit vniuerſis, ex quo apertiſsime claret quod Mater Chriſti Maria hæreditario iure, omnium quæ ſunt infra Deum, habet Regale Dominium,& inclytum obtinet Principatũ*. Huc vſq; Sennenſis. Eadem ergo eſt quæ charitsima Paracliti nuncupatur Sponſa, & ab ſpõſo tota pulchra & ſine macula celebratur, perfectiſsime itaque Deipara nume-

*num. 10. Canticorũ 17 num. 1.*

*num. 11. Tomo 1. Ser. 71. pag. 514. Col. 2.*

numeris est omnibus Augustissima, & ijsdē, quibus suprema illa vnica Trium personarum essentia, præstantissimaque natura gaudet immunitatibus, diuinæ veluti Triadis filia, Parens, & sponsa purissima, ipsa tamen ex priuilegio, vt pote in quam, (vt Hyeronimus ad Eustochium. 12.) Totius gratiæ, quæ est in Christo plenitudo confluxit, ex gratia, strictissimis ergo humanæ naturæ, seruitutis, & peccati legibus & solutam, & fuisse liberam, & Regali simul Augustam filij Regis splendore mirabilem iura clamitant, & eandem viuissimis quasi penicilli coloribus expressit Ester Regina, quæ velut viuentis huiusce corporis vmbra Reginam hanc omni lege solutam præfiguràuerat Augustissimam. Illa quippe cum Regem sponsum Mardochæi consilio, pro vniuerso suo contenderet populo deprecari, quem capitali pæna, rigidaque mortis sententia, Amam precibus inclinatus cōdemnarat Assuerus, eius licet generali cauebatur edicto, omnem quemcumque siue virum, siue mulierem, quæ non vocata Regis atrium ingrederetur interius, mortis esse ream, & Ester nihilominus non vocata, ornamentis insignita Regalibus atrium Regis, in maiestatis solio residentis intrasset, immanique subito ipsius vultus metum incutientis ferocitate perterrita defecisset, roseoque colore inpallorē mutato, caput super ancillulam reclinasset. Virgam Rex auream pietate cōmotus, sceptrumque Regale quod gestabat manibus, insignum clemētiæ extenderet contra Ester, quæ nimium eius oculis verè speciosissima complacuerat, assurgens Rex, inquit, 13. *Fraternus sum nolli metuere ester, non morie-*

*num. 12. Epistola de custodia virginitatis.*

*Esther, 15. num 13.*

*morieris, non enim pro te, sed pro omnibus lex hæc constituta est.* Dimmidiamque eidem, si Regni partem exposceret, est pollicitus, quod ita contigit, antequam Ester in terram corrueret, sed ipsam iam, iam cassuram festinus Rex propijs sustẽtauit in vlnis, & super eius collum virgam auream imponens, osculatus est eam. Quid clarius? quo Sacræ Virginis præseruatio antequam peccatum originale contraheret, exprimatur? Quid manifestius? quo innotescat, generali mortis, & peccati edicto licet omnes fuerint comprehensi, Reginam tamen hanc, cuius Ester adumbrauit imaginem, non ligari, non stringi? cuius supremus Rex, non frater, verum & filius effectus humilimus, non dimidiam Regni partem, vt Assuerus concessit Ester, sed eam, vniuersalem terræ, Cæliq; Reginam, Regali sceptro traddito constituit, ac Dominam, eamque aurea suæ omnipotentiæ virga, antequam in labem corrueret, detinuit mirabiliter, ac misericorditer sustentauit. Quod si iura vociferantur. 14. Personis vilibus, & infamiæ labe coinquinatis, dignitatis fore ianuas præcludendas, cum nulla sit maior, ea quæ peccato labes contrahitur, & irrogatur infamia, citra dubium est, ab eadem fuisse liberam, eam, quæ concepta est, vt ad supremam eleuaretur Deiparæ dignitatem. Neque mirum hoc est, cum eadem iura stabiliant, eam quæ maioris est capax. 15. á fortiori minoris esse capacissimam dignitatis, dubiũ ergo esse nõ debet, quin fuerit gratiæ præseruationis ab originali scelere, capacissima, Virgo, quæ, (quod maius est) super Angelicas Dei genitrix eleuari meruerit Hyerarchias. & ideo cœlorum

*num. 14. tx. in c inter dilectos de excessi. præl. c. querellã de iure iur. l. nec famosis Cod. de dignit. lib. 12. l. vnica Cod. de infamibus. lib. 10*

*num. 15. l. iuris gent. § adeo ff. de pactis, l. ineo ff. de reg. iur. Reg. cui licet de reg. iu. li. 6*

lorū Regina solemniter exaltari. *Licet* enim ex diuini transgressione præcepti, in transgressoris Adæ
num. 16. filios originalis peccati damnatio supremi Principis sententia, decretoque prouenerit ab altissimo,
l. si quis inprīcipio ff. de legatis. 3. cum tamen. (16.) Legem ferre, nemini permittatur, à qua recedere non liceat idemtidem, & à se conditam Princeps legem facili possit negocio suspēdere, vel penitus reuocare, siue aduersus eandem priuilegium concædere.
num. 17. (17.) Concluditur manifeste strictam hanc, licet iustissimam damnationis sentētiam
Card. florent. in clement. 1. de test. innoc. in c. quæ in ecclesiarum de constit. legemque originale scelus inferētem in ipso *Mariæ* Conceptionis instanti potuisse suspendi, solui idemtidem & potuisse, suspensamq; fuisse ac penitus reuocatam, & aduersus eandē Diuinæ huic Ester, cui Reale est á Deo suæ omnipotentiæ sceptrum extēsum, & Reginæ velut Augustissimæ concæssum fuisse Matri Virgini priuilegium. Ab eo maxime supremo Principe, qui tribus digitis fundamenta terræ, simul & cœlorum appendit, de cuius omnimoda dubitare
num. 18. potentia, (18.) Grauissimum sanè diuina simul & hu-
l. 2. Cod. de de crim. sacrilegij. mana iura reputant sacrilegium. Idq; maximè cum in tempore concepta sit Virgo, quæ ab ipso *Deo* ab æterno fuerat præelecta sui futura genitrix sine ma-
num. 19. cula, & (19.) *Ipse* fundauerit eam *Altissimus*, & pri-
Psal. 186, ma super abundantis gratiæ iniecerit fundamenta in eiusdem conceptionis instanti, vt Regale sibi palatium fabre faceret, nondum enim erant peccatorum abyssi, & hæc erat iam in diuinamente Virgo
num. 20. cōcepta, quia teste *Bernardo*. (20.) Deus eam in suæ
Epist. 1. cōceptionis instāti præ cæteris santis omnibus adamauit, sed si originali læderetur contagio, Dæmonis

& iræ

& iræ filia (21) *Atq;* in eo instanti, Deo prorsus exis- *nu. 21.*
teret inimica, ergo quam tunc Deus præsantis om- *Ad Ephe. 2.*
nibus adamauit, labe præseruatam originali, puris-
simam sanè, & ex priuilegio, omni (quæ est in Christo
gratia exuberasse fatendum est, Cum Deus id potue
rit citra dubium, qui solem cui nouissimum ad vsq; *nu. 22.*
iudicij diem. (22.) vt á cursu suo non requiesceret, *Mag. sent.*
imperauerat, & à cursu suspēdere potuit, ac suspen- *in. 4. dist. 48.*
dit, & vnius horæ fecit interuallo quiescere, (23) vt *ca. vlt.*
& Iosue prælium consummaret, & gloriosam pariter *nu. 23.*
reportaret victoriam, & qui solem contra sui natu- *Iosue. 10.*
ram decē fecit lineis retrocedere, 24 Cōmunem na-
turæ cursum, & peccati suspendere potuisse in vnico *nu. 24.*
instāti Conceptionis *Mariæ* quis dubitet? Vt Serpen *Esaiæ. 37.*
tis caput contereret, prommissamque sibi, Virgo as-
sequeretur victoriam? (25.) Qui ferri potuit suspen-
dere grauitatem, & super aquas contra sui naturam, *nu. 25.*
fecit natare, in sua potuit vtique genitrice grauem *4 Reg. 6.*
originalis culpæ legem suspendere contra commu-
nem hominum conceptionem. Qui sine stilo ferreo
tabulas scripsit lapideas, tabulam suæ *Matris* rasam
quidem, in qua peccati nihil erat depictum, sine cul-
pæ ferro potuit scribere citra dubium, & eidem vi-
uissimos gratiæ præseruantis delineare colores, &
omnium speciosissimam efformare. Qui pannem in
eremi tellure sine aratri perfossione produxit, & vir
ginem potuit, in humanæ naturæ deserto sine pec-
cati transfixione producere, qui de Sicca, (28) Aron *nu. 28.*
Virga fructum fecit erumpere viridem, de Iudaica *Numer. 17.*
potuit stirpe arida per peccatum Spōsam suam ori-
ginali iustitia decoratam educere, vt de Iesse radice

virga eggredetur, ex qua flos campi, & lilium conuallium, quod Christus est) ascenderet vt ascendit.
nu. 29. Daniel 2. Qui fecit.(29.)De mōte præscindi lapidem sine manibus suam potuit genitricem firmam quidem, & in gratia solidam sine peccati permixtionibus procreare, qui potuit (30.)aquæ fluxum retinere, & contra naturalem impetũ, Iordanis fecit fluuium retrocedere,& maris (31.)aquas condẽsari,& esse quasi pro muro filijs Israel, & non fluere, ita vt siccis pedibus mare rubrum transuadarẽt,fluxum etiam originalis culpæ in sua potuit genitrice suspendere,ita vt mare corruptæ generationis Primorum Parentum,immaculata Mariæ posset anima pertrãsire, Qui 32.rubum in igne positum,Qui Danielem,33. & Socios ab incẽdio liberauit,Regalem infantulam,ac sacram Virginem ab originali potuit incẽdio liberare.Qui tandem fecit,vt se, quem cæli capere non valebant,virgineum Mariæ gremium contineret, & á creatura Creator,& arctissima mensura Deus cōtineretur immẽsus,& vt sine virginitatis ammissione,Virgo conciperet, virgo pareret, & virgo purissima permaneret, potuit sine dubio facere, vt & ipsa sine macula conciperetur originis, hæc igitur, & alia innumera cum potuerit Is, apud quem,nihil excogitari poterit impossibile,quidquid potuerit,cum ita decuerit & voluisse,pariter & fecisse, nullus sanæ mentis profecto ambiget. Augustinum audite loquentẽ de virgineo Mariæ corpore non corrupto, quod satis & à fortiori cōsonat immaculatæ ipsius animæ non corruptæ. *Potuit Deus (inquit) eam seruare ab omni corruptione alienam,igitur voluit, si voluit, & fecit,quia ad filij huma-*

Marginal notes: nu. 30. Iosuæ. 3. — nu. 31. Exodi. 14. — nu. 32. Exodi. 3. — nu. 33. Danielis. 6.

*humanissimam conditionem spectabat, hunc Matri suæ honorem impendere.* ó aurea, quia Aurelij, & aurei Doctoris verba, Ast si honorem hunc corporis ita põderat Augustinus, quid est? cur eundem, imo, & si possit fieri, maiorẽ immaculatæ, suæ genitricis animæ, Deum non impendisse credatur? Quod si cum potuerit, ab originali scelere præseruare noluisset, (liceat ita loqui) quodam modo notaretur ingratus, & strictã amoris non adimplere legem; qua filius vti gratissimus, & Matris amantissimus, quia secũdum carnem, vnicus sine Patre, præ cæteris tenebatur, eo maximè cum (35.) *Parentum gloria redundet in prolem, & gloria hominis ex honore Parẽtum, & de decus filij, Pater sit sine honore.* Procul dubio credendum est, maiorem hanc Matri per se gloriam, ac sibi, voluisse per Matrem accrescere, cũ potuerit, etenim si Virgineo id Mariæ corpori concœssum est, quãto magis ipsius animæ non corruptæ fuisse concœssum ratio postulat? firmiterq; suadet? Vt etenim inquit idem lumen ecclesiæ fulgẽtissimũ Augustinus, 36 *Beatius fuit, Virginem concepisse mente, quam ventre* ea igitur, quæ Deũ in tacta virginitate peperit corporaliter, mente simul à fortiori, non tacta à Dœmone eundem spiritualiter germinauit, cũ virginitas corporis, ab animæ integritate, velut à primo fonte profluat, scaturiat iugiter, & erumpat. Nec enim ratio sustinebat Prothoparentem Adamum, Euamque communem omnium genitricẽ sine originali fuisse macula procreatos, Mariam autem, quæ ad eorum reparãdos errores, & maculas abstergendas, ab æterno fuerat præelecta Dei futura genitrix, & sanctissima, origi-

*nu. 35. Eccl. 5. n. 1.*

*nu. 36. Super 66. c. Isaiæ.*

 nali

nali labe contaminaretur, & communi hoc contagio lœderetur, & in ipsa sui prima productione Eua fælicior extitisset, & purior, quam Maria, quod mēs abhorret; & animus cogitare, & christianorum ore proferri pias aures satis offenderet, *Auctrix* (enim) *nu.37. Aug. serm. 18. de sanctis qui & 2. de Annuntiat. Dominica.* (37) *peccati Eua auctrix meriti Maria, Eua occidendo obfuit, Maria viuificando profuit, illa percussit, ista sanauit, unde non immerito plena gratiæ ab Angelo prædicatur, etenim quod natura non habuit, vsus nesciuit, ignorauit ratio, mēs non capit humana, obstupet cœlum, terra pauet, creatura omnis etiā cœlestis miratur, id totū in Maria plena gratia continetur.* Igitur non solū Deipara, fuit prima genitrice fælicior, sed & sanctorū omniū, cœlestiū procerū, Angelorū, Cherubim, & Seraphim agminibus immaculatior *decuit* (enim) Virginē vt inquit Anselmus. *nu.38. Anselm. de laud. Virg.* (38) *Ea puritate nitere, qua sub cœlo maior nequit intelligi.* De qua Augustinus, cū de peccatis agitur, *nu.39. Tom.7. li. de Nat. & gratia. ca.36.* (39) merito nullam vult habere quæstionem, ad altissimam enim, & incomparabilē Dei genitricis dignitatem spectauit, Beatissimam Virginem Matrem fuisse puriorem, vt extitit, Parentibus sāctior omnibus, quæ à Deo sunt cōditæ. & quæ fabre fieri potuerunt, nec *nu.40. Ita Theologi scholastici in 3. D. Thom. partem.* (40) æqualis potuit fieri Mater, nisi forte Pater, aut diuinus Spiritus carnē assumerent aliquando, quod non ita contigeret, si originali macula fædaretur. Quod quasi natura nouerit, est venerata, nam (vt testis est Damascenus.) *Nu.41.* (41) *Natura gratiam anteuertere non est ausa.* Sed spectauit vt suum gratia sortiretur effectum, priusquā Mariæ anima corpori vniretur, exuberāti itaq; gratia diuini Spiritus est præuenta, quod filij omnipotentis

tantis honori conuenientissimum extitit, ne tenebrarum Princeps carnem aliquando maculasse gloriaretur, ex qua diuinum Verbum, humanā sibi naturam decreuerat copulare, & mirabiliter copulauit. Quod diuino sanè consilio fuit ab æterno præuissum, etenim si emortuum Christi seruatoris nostri corpus, noua amictum syndone, & in (42) nouo pariter monumento, in quo nondum quisquam positus fuerat, est sepultum, ibidem triduo tātum modo remansurum, quod si crucis constat subijsse patibulum ex arbore recenter abcissa, nullisq; calcata pedibus in fluuio Cedron, vt tribus tantū horis ex cruce pendens Redēptionis nostræ mysterium consummaret, longè maiori ratione credendum est, & decuisse fatendum, cum Deus ex Virgineo Mariæ vtero carnem foret assumpturus, & in eo nō triduo tantum, sed nouem mensibus non emortuū, sed viuēs Christi corpus velut in Dei tabernaculo permāsurū, vt cum incredibili naturæ, terræ simul, & cœlorum admiratione permansit, nouam, recentem, illibatamq; Mariæ carnem, nec á Dœmone coinquinatam, nec originali fœdatum scelere, primum veluti sui sacrificij altare sanctissimum habitasse, neque enim teste Diuo Cypriano. 43. *Nec enim sustinebat iustitia, vt illud vas electionis communibus lacerаretur iniuri,s, quoniam plutimum á cæteris differens, natura communicabat, non culpa.* Et non sine numine, etenim purissima Virgo hæc in Salomonis throno ad viuum fuerat figurata, 44 *Thronum itaque fecit Rex Salomon de ebore grandem, & vestiuit eum, auro fuluo nimis, & non est factum tale opus in vniuersis regnis.* Ap-

*nu.42. Ioan.cap.18.*

*Nu.43.*

*nu.44. 3.Reg. c.10. nu.19.&20.*

positè

positè satis figuratur Maria in eburneo, grandi, & eleganti throno Salomonis, qui certè summā summi Dei sapientiam, ipsumque Mariæ filium, Christum nobis certo certius representauit, huic alteri Salomoni suus constare debet thronus excellens, sublimis Augustus, ac omni exparte quidem elaboratus, vt nihil spectandum purius, ac magnificentibus posset orbis exhibere, quam pulchre autem, & quam commodè in hoc mistico throno (Mariam loquor) noster Salomon conquiescit, suumque Regnum auspicatur, throno (inquam) tam grandi, vt terræ, cœlique Principem suo ambitu contineret-throno eburneo, quem omnis puritatis candor inde ab initio vndique commendaret, ac throno demum ob fuluum aurum rutilante, quē fulgens eximiæ charitatis virtus coram Deo, & Angelis vel maximè cohonestaret. Cum ergo Regina sit, 45 quæ
*nu.45. Psalm. 44.* adextris Dei in vestitu adstititde aurato, Thron⁹ igitur mirabilis extitit, in quo verus Salomon Christus sedem habuit singularem, vnde non tantum id quod Hyeremiæ, quod diuini Verbi Præcursori cōcæditur, de sanctificatione est ei in matris vtero cōcædendum, *Plurimæ enim vbi filiæ 46 sibi congregauere*
*nu.46. Prou.31. ca.* *diuitias, Regina hæc supergressa est vniuersas*, & peculiari gratia, qua ex diuina fuit beneuolentia præseruata, Throno huic cōpetit virginali, quod *nō sit factū tale opus in vniuersis regnis*, nulla enim pura ex Adæ sobole creatura, facta est talis in vniuerso, quæ vt Regalis hæc infantula glorietur, Regina quæ ex infecta natura vnica est sine labe concepta. Quæ templum est pariter Salomonis merito compellanda

Dei-

Deipara, de quo, cum ædificium inchoaretur, asseritur, 47 *Domus autem cum ædificaretur, de lapidibus dolatis, atque perfectis ædificata est, & malleus, & securis nõ sunt audita in domo cum ædificaretur.* Quid proprius? nostri etenim Salomonis templum (ni cæci simus) cernitur in Maria, merito prædicatur, colitur, & suspicitur, in cuius structura, & immaculatissima conceptione, nec peccati originalis malleus est auditus, nec Virgo securi fuit, aut alio actualis sceleris ferramento percussa, sed de lapidibus dolatis, ac perfectissimis domus hæc est ædificata Regalis, puella tenerrima, quæ perfectissimè virtutũ omnium excellentijs est fundata, 48 *Præcepit enim Rex vt tollerent lapides grandes, lapides pretiosos in fundamentum templi, opus grande est, neque enim homini præparatur habitatio, sed Deo.* Quod opere præstitum esse ostenditur, lapis enim superabundantis gratiæ prætiosissimus pro templi huius sacerrimi fundamento in Mariæ conceptione est appositus mirabiliter. Sed ne in alienam omnino messem, falcem videar immisisse, nulla licet ab altissimo hoc mysterio reputetur aliena, nec iurisprudentiæ, quæ proprior est mihi, videar obliuisci, (ô viri, ô Patres.) Vlpianum audite iurisconsultum in pandectis lege Sexta de pignoribus, ad rem hãc mirabiliter sic loquentem: 49 *Obligatione generali rerum, quas quis habuit, habiturus ve sit, non continebuntur, quæ verisimile est quemquam spelialiter obligaturum non fuiße, vt puta vestis relinquenda est debitori, & quæ ad affectionem eius pertineant.* Sic ergo verisimile quidem, rationi, & veritati maximè consentaneum, piorum simul, &

*nu. 47. 3. Reg. c. 6. nu. 7.*

*nu. 48. 3. Reg. 5. n. 17. & 1. Paralipõ. 29. nu. 1.*

*nu. 49. L. 6. ff. de pignotibus*

pru-

prudentum virorum iudicio censeri debet, Deum optimum in generali lege, & præcepto mortis Adæ imposito noluisse, Sanctissimam Virginem comprehendi, cum post habitis omnibus creaturis, magis ad eius pertinuerit affectionem, etenim si solo rationis, & æquitatis lumine naturali motus Vlpianus vestem decreuit esse debitori relinquendã, quasi præseruatam, & in præsentium, ac futurorum bo-
*nu.* 50. norum obligatione non comprehensam, cum Christus 59 seruator noster se se pro nobis constituerit debitorem, propter debitum voluntarie contractũ, pro peccatis hominum diuinæ satisfaciẽdi iustitiæ, longè profecto huic verè pijssimo debitori, qui 51
*nu.* 51. *in similitudinem hominum factus, habitu est inuentus, vt homo:* relinquendam fuisse vestem matrem Virginem, iuriconsonum satis extitit, præseruandam itaque fuisse Mariam, & pariter præseruatam iura decernunt, vt pote quæ ab æterno fuerat præelecta, & Deo dilecta magis quam vniuersalis Ecclesia, vt ex purissimis eius sanguinibus æterni Patris Filius in incarnatione vestiretur, quám vt mirabilẽ Christi vestem Bernardus celebret, sic alloquitur, diuinis hisce, & ab eius ore mellifluo procedẽtibus verbis sanè mellifluis. 52 *Quam familiaris facta est ei Do-*
*nu.* 52. *mina, quam proxima, imo quam intima fieri meruisti, quãtã inuenisti gratiã apud Deũ, in te manet, & tu in eo, & vestis eũ & vestiris ab eo, vestis eum substãtia carnis, & vestit te ille gloria suæ maiestatis, vestis solem nube & sole ipsa vestiris.* Ea ergo fruitur fælicitate Deipara quã Christus exuberanti gratiá decorauit, & quæ eundem carne vestiuit Regina in vestitu deaurato pulchrè satis

*Isaia. n.* 4. *& Paul.* 2. *Corint.* 4.

*Paul. ad Philipẽses. ca.* 2.

*D. Bern. sermone super signũ mag. ante mediũ*

satis ornata á dextris vnigeniti in gratia semper, ac sine macula debuit adesse, & vestis vti pretiosissima diuino huic pro nobis effecto debitori relinqui. Neq; oberit si quis nobis aduersarius obiecerit eo tẽpore, nec plura post lustra B.Virginẽ Christi Matrẽ extitisse, & consequenter neq; vestem ipsius, illa enim, diuina confirmante Sapientia. 53 *Et ab æterno fuerat ordinata,& ex antiquis antequam terra fieret*,& vti Diuus Bernardinus Sennensis accinuit mirabiliter, 54 *Virgo ante omnem creaturam fuerat in Dei mente prædestinata , vt Deum ipsum hominem procrearet*, & cum sit idem ius de præparatorijs, ac de repræparata 55 Teste Pomponio iurisconsulto, manifestum est, idem esse iudicium de tela contexta, ac de ea, quæ nondum est incissa à textore, 56 sed ad vestem conficiendam est ordinata, Reginæ autem huius conceptio præuissa fuerat ab æterno, & producta in temporum plenitudine, & in Beatissimæ Matris Annæ vtero quædam fuerat præparatio vt æternum ex ea Verbum diuino superueniente Spiritu carne vestiretur humana concluditur ergo pretiosam hãc Christi vestẽ fuisse mirabiliter relictã eidẽ, vt pote in generali mortis & peccati debito nõ cõprehensam,&ab originali macula liberatã. Ergo vt cursum teneat oratio, & quã sibi proposuit metam aliquando contingat, in huius purissimæ Virginis, Augustissimæque Reginæ fauorem, eiusdem nobilitatem affirmantes, penè innumeri testes omni maiores exceptione deponunt, deposuit Augustinus, 57 deposuit Anselmus, 58 deposuit Hilarius, 59 & simul est Bonauentura testatus, 60 ex A-

*nu. 53. Prou.8.n.23*
*nu. 54. Serm. 51. de B.Virg.ca.4.*
*nu. 55. L. In argẽto pot. ff. de auro & arg.legato.*
*nu. 56. L.Vestimẽtũ. ff.de auro.& argent. legato.vbi.glossa verb. de textum.*
*nu.57. Aug. tom.7. li.de Nat.& grat. ca. 36.*
*nu.58. Anselm. declarans illa verba. ca.5. post. ad Corin si vnus pro omnibus mortuus est.*
*nu.59. Hilar. in offic Nogorali approbato a Sixto.4.*
*nu. 60. Bonau.serm. 2.de B. Maria,qui habetur to.3.pag. 839.*

poſtolis depoſuit Andreas, ex Chriſti diſcipulis, depoſuit Diuus Theſiphon 62 Gratanenſis, ſub ea grauitate verborum quæ ni ipſius eſſent, nec ego quidem vel effari auderem, *qui aliter ſenſerit, ſalutē æternam non conſequetur*, teſtatus eſt in ſimul ſacræ Virginis, & eius integritatis defenſor acerrimus Illefonſus, 63 teſtatus eſt Seraphicæ familiæ inexhauſtum lumen, & huius opinionis inter Scholaſticos Anteſignanus qui Subtilis cognomine gloriatur, Scotus, 64 nunquam ſatis pro ingenij acumine cōmendatus, teſtantur viri fere innumeri ſanctitate, & litteris illuſtriſsimi, Relligionum omnium lumina fulgentiſsima, doctores & magiſtri eruditiſsimi quos ſacro prætermitam ſilentio, ne faſtidium vobis importuna eorū videar parere narratione, quibus ſanè teſtibus, tum quia numero pluribus, tam quia veritatem hāc affirmantibus, (& ſi forent numero pauciores) maiorem eſſe fidem adhibendam, quam mille negantibus 65 iura decernunt, tū præcipué cum Dominicanæ familiæ lumen illuſtriſsimus Caietanus, teſtes in fauorem ſacræ Deiparæ nobilitatem deponentes pené infinitos eſſe fateatur, quibus additur, decentius, ac propenſius eſſe credendum teſtibus in fauorem accuſati rei loquétibus, eius innocentiam affirmantibus, 66 vbi teſtes ignobiles, negantibus nobilibus præferuntur, cum igitur Reginæ huius nobilitatem aſſeruerint teſtes tot, ac plures numero depoſuiſſe gloriemur, iure quidem merito á ſupremo iudice Sanctiſsimo Paulo, diuina miſeratione, Petri nauiculam gubernante Prima eſt in fauorem Virginis, Auguſtiſsimeq;

*nu.61. And. refertur ex lipomanio a Laurent, Surio in paſsione Andreæ Apoſt. quam præsbyteri & Diaconi Achaiæ poſteris ſcriptam reliquerunt.*

*nu.62. In libris plūbeis repertis in monte Granatæ, qui dicitur Sāctus an. 1595*

*nu.63. In Breb. Rom. de Camera, edito venet, an. 1550. in offic. concep. approbato a Sixto. 4. in lect. 3.*

*nu.64. Scot. in 3. diſt 3. q. 1. §. ad quæſtionem.*

*nu.65. Gloſ. & ibi. communis in l. diem pro. ferre. §. ſi plures. ff. de arbitris.*

mæq; Reginæ prolata sententia nobilitatis in possessione qua à fidelissimis eius alūnis huc vsq; est habita firmiter, & cū tot antea obmutuerint Zachariæ, Noster hic verus equidē Zacharias, (licet in cognatione nostra) hoc est in Adæ sobole nō, fuerit, qui tali vocetur nomine, gratiæ nempe seu qui in gratia, & penitus sine macula concipiatur, postulans pugillarem, 67 Ioannis esse, seu gratiæ nomen eius inscripserit, dum in gratia fuisse conceptam immaculatamque eius conceptionem, & fateri, & defendere, & liberè celebrare sic iusserit, vt contrarium asserete publicè penitus inhibuerit, pœnisque sanè grauissimis interdixerit. Faxit vtinam Deus, vt in huiusce Salomonis temporibus, quod Dauides tot non ædificarunt, 68 Regale Mariæ templum mirabiliter construatur, & inennarrabilis huiusce nobilitatis feratur in proprietate sententia, vt quod nunc pietatis est, & deuotionis, tunc fidei mysterium credatur omnino, magnō vtinam nobis fidei merito super addito. Quod interim opere dum completur vniuersæ huius Academiæ Mexicanæ nomine tibi gratulor, iterum, atque iterum gratulabor (O Princeps, ô Regina Angelorum Augustissima,) immaculatamque tuam solemni iuris iurandi Religione Conceptionem tutari pro viribus, omnium nomine polliceor humillimus, ô vere alma Rebeca, tali gloria fruere adolescentula abscondita, Viro incognita, eximiè speciosa, á magno Patre conquisita, pretio-

D ij sis

*nu. 66. Docet Abbas ca. ex iitteris col. 1. de probation. Philip. Dec. & plures quos refert, & sequitur Tiraq. de nobil. cap. 20. n. 34.*

*nu. 67. Lucæ. 1.*

*nu. 68. 1. Paralipom ca. 22. n. 10.*

ſis donata monilibus, & ſingulari cohoneſtata pudore, Virgo ſola digna reperta cui verus Iſac, omnipotens nempe Patris riſus, & idem veré lætitiæ noſtræ fons beatiſsimo ſpiritualium nuptiarum vinculo iungeretur, fuere, inquam, ô vere Sancta, & ſæculis omnibvs celebranda Iudith. Elegāti aſpectu prædita ſuperbiſsimū Holoferni caput amputaſſe, ac Dei populo, pro certa deſperatione attuliſſe ſalutem. O vere gloria Hieruſalem, lætitia Iſrael, & noſtri populi horificentia, *Fruere millies, noſtra ſiquidem ſoror es, & creſcas in mille millia.*

(✱(?)✱)

Soli Deo, Honor, & Gloria.

---

## CON LICENCIA.

En Mexico, en la Imprenta del Bachiller Iuan Blanco de Alcaçar. En la calle de Sancto Domingo, pared en medio dela ſancta Inquiſicion. Iueves tres de Iunio, Año 1619.

